

Capitulū quintū.

sunt bona facere et deo placere sed non faciunt: quia mysterium vocationis dei ignorant et ipsi sunt infirmi. Quidam autem sic passionibus carnalibus sunt mancipati ut etiam si sciant mysterium vocationis dei tamen bene agere non permittuntur. et ipsi sunt languore habentes. Sed passiones corporales diuinitatis virtute sanauit: spirituales autem verbo pietatis. Sicut enim medicina languenti corpori sic verbum prodest anime egrotanti. Deinde vide quod non prius posuit sanans omnem languorem et omnem infirmitatem. sed primum predicans et docens euangelium regni: et postea sanans: propter duas causas. Primum ut quia miracula virtutum edificant animas secundum verba pietatis. Ideo autem premititur quod magis necessarium estimatur. Deinde quia non verba pietatis virtutes miraculorum commendant sed virtutes miraculorum veritatem sermones. Nec ideo credebatur christus posse facere virtutes quia veritatem predicabat: sed ideo credebatur veritatem predicare quia poterat facere virtutes.

Et obtulerunt ei

omnes male habentes et curauit eos. In quibusdam locis ponit et multos curauit: sicut est ibi. Et quotquot tetigerunt eum sanati sunt. Hic autem simpliciter dicitur et curauit eos significans quia omnes curauit. Sicut noui eius medicus intrans ciuitatem et volens ostentationem dare sui artificij. oēs ad se venientes curat et non tantum cogitat de mercede accipienda. Quibus de opinione sua commendanda. cum enim manifesta fuerit fama eius bona: tunc secundum labores suos incipit exigere et mercedem. Sic et dominus incipiens predicare. non secundum iudicium quosdam. sed omnes indifferenter sanabat: postquam vero illum omnis in dea cognouit. beneficia

sanitatum digno precio fidei vendebat. unicuique dicens. fiat tibi secundum fidem tuam. non tamen omnes sed illos ad quos secundum prescientiam suam ante preparauerat quod veniret.

Capitulū quintū

Idens autem ie

sus turbas multas ascendit in montem. I. Dis artifex secundum

professionem suam. oportunitatem operis videns gaudet. Carpentarius si viderit arborem bonam. concupiscit eam prescendere ad opus artificij sui: Agricola si viderit terram pinguem desiderat eam arare. Et quid dico de rationabilibus hominibus. Ipse irratio nabilis equus de stabulo proficiens si viderit campos patentes rapit frenum et excitatur ad cursum. Sic et dominus videns magnam congregationem populi excitatus est ad docendum. Sed et omnis sacerdos cum viderit ecclesiam plenam gaudet animus eius. et delectatur ut doceat. Si autem viderit ecclesiam vacuam confunditur et nihil dicere potest. Ascendit in montem. Numquid non poterat ibi docere: ubi iam populus erat? Sed propter duas rationes ascendit in montem. Primum ut impleret prophetiam isaie dicentis. Super montem excelsum ascende tu qui bene annuncias sion. Deinde ut mysterium pietatis ostenderet. Ascensio enim eius est altitudo virtutum. Ascendit ergo in montem: ut ostendat nobis quoniam in altitudine spiritualium virtutum consistere debet: qui docet iustitiam: dei pariter et qui audit. Qui docet verborum suorum sit ipse exemplum: ut magis opere doceat quam sermone. sicut ait apostolus ad thimotheum. Exemplum esto omnium fidelium. Qui autem ambulat per consilia vite